



IVNIA CLAVDILLA, quam & Tacitus Claudiam appellat, M. Syllani nobilissimi viri filia, ante initium principatus C. Cæsari nupta, ex partu obiit.

LIVIA HORESTILLA, C. Pisoni prius nupta. Hanc C. Cæsar è conuiuio abduxit, & manè gloriatus vxorem instar Romuli sibi esse repertam, inter paucos verò dies repudiatam biennio post relegauit, quòd repetisse prioris mariti Pisonis vsum medio tempore videbatur.



LOLLIA PAVLINA M. Lollii Caii filii Augusti rectoris filia, antè C. Memmio, qui consularem exercitum regebat, nupta, facta mentione auix eius, vt quondam pulcherrimæ, subito prouincia euocata, ac C. Cæsari coniuncta fuit: sed breui interdicto coitu cuiusquam in perpetuum, ab eo dimissa.

CAESONIA, neque forma insignis, neq; ætate integra, luxuriæ perditæ mulier, & ex alio trium filiarum mater. Hanc tanto ardore adamauit C. Cæsar, vt pelta & galea armatam, iuxta se adequitatem milit